

*Authent. de Consulib. §. fin. collat. 4. & in §. Sed & quod Princip. Institut. de jure natur. gen. & civil.* Sed per legem potest impediri alienatio & translatio domini, ut supra dictum est: Ergo & per Principis auctoritatem, & isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Innoc. in cap. fin. de Accusat. in fin. verb. & ibi Abb. fin. col. Anania, 5. col. in fin. Abb. Panorm. in capit. Raynaldus, de Testam. 5. col. idem Abb. in cap. Dilectus, el 2. de Præbend. & ita disponit nostra lex.

55 Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione: Primò principaliter quæro: Quis effectus & utilitas resultat ex hoc, quòd quis constituat majoratum cum auctoritate & licentia Principis; cum sine ea possit quis per contractum & ultimam voluntatem bona sua vinculare & subjicere restitutioni, & eorum alienationem prohibere, ut supra conclusum est? Ad quod notabiliter respondeo: quòd maximus est effectus & utilitas. Primus, quòd si habet filios vel descendentes, poterit per viam majoratus ultra tertium & quintum, & legitimam electo vel nominato relinquere; dum tamen alimenta aliis præstentur: ut latius infra proximè dicitur. (z) Secundus effectus est, quòd in vinculo & gravamine non tenetur pater vel ascendens servare ordinem & modum positum in leg. 27. supra his II. Tauri. Tertius effectus est quòd si constituens non habet filios nec descendentes, poterit indistinctè, tam per contractum quam ultimam voluntatem, bona vinculare, & subjicere restitutioni, & quodlibet onus vel gravamen apponere, & alienationem prohibere sine clausulis superioribus, de quibus supra dictum est. Quartus effectus est, quòd in bonis majoratus transit ipso jure possessio in successorem, ut in leg. 45. infra his II. Tauri. Secùs tamen est in aliis bonis ex alia causa vincularis, & restitutioni subjectis, ut ibi dicam. Quintus effectus est, quòd melioratio tertii, vinculum & gravamen ejus non cadit in unico tantum filio, sed eo casu quo sunt plures, ut suo loco dixi in materia meliorationis: majoratus verò sic; quia non est qui repugnet. Item etiam alii plures effectus possunt

(z) Ad hujus effectus comprobationem videas quæ dicta sunt ad numer. 57. ibi: & alios sua legitima privare. Et de sequentibus effectibus, vide Matienz. in leg. 11. tit. 6. lib. 5. Recopil. glos. 11. à num. 20.

(A) Prout etiam dicit Tiraquell. de Primog. quest. 4. num. 1. Covarr. lib. 3. resolut. cap. 5. num. 5. vers. Tertio eadem, sed & Reipublicæ utile esse censet Paul. consil. 543. in fin. lib. 3. 1. cons. Burgos de Paz in Proemio legum Taur. numer. 83. doctissimè & latè Matienz. in leg. 1. tit. 7. lib. 5. Recopil. glos. 1. n. 12. & sequentib. Soto de Just. & jure, lib. 4. quest. 5. num. 1. pag. 286. col. 1. ad fin. Menes. in rubr. num. 4. cum tribus sequentib. Cod. de Fideicommissis. Molin. de Primogeniis lib. 1. cap. 1. Aceved. in rubr. tit. 7. lib. 5. Recopil. nam. 11.

colligi, ex infra dicendis in materia.

56 Secundò principaliter quæro, an pater vel mater possit cum bona conscientia & sine peccato facere majoratum vel meliorationem? Et breviter dico quòd sic: (A) quia fit auctoritate & licentia legis communis; & universalis consuetudinis inductæ propter bonum publicum, & propter memoriam & honorem constituentis conservandam, & propter regni & reipublicæ utilitatem & defensionem: ut probat apertè l. 11. tit. 1. 2. part. & evidentia facta & experientia quotidie docent: Prætereà, quia habet fomentum à jure divino, ut supra dictum est: Item etiam, quia ista est notabilis & utilis doctrina, quòd lex humana positiva condita à Rege vel Principe non cognoscente superiorem ex justa vel rationabili causa, est servanda in foro conscientie: ita tenet & determinat S. Thomas in 2. 2. quest. 96. art. 4. & 6. Henriq. in quodlibetis suis, quodlib. 8. quest. 22. & est communis opinio Theologorum: tenet etiam apud nos Glossa finalis & unica in cap. Quæ in Ecclesiarum de constitution. in gloss. 1. quam ibi ad hoc reputat singular. & unicam Bald. 1. col. & communiter DD. ibi: tenet etiam Abbas Panorm. Proemio Decretalium, in part. res pacificus, 4. column. n. 4. idem Abbas in cap. 1. de Constit. 6. col. & ibi Felin. 13. col. num. 44. Felin. in cap. 2. de Constit. 13. col. num. 44. Bald. in Authent. ingressi. 6. col. num. 15. Cod. de Sacros. Eccl. Idem Bald. in leg. Cum quis, Cod. de Jur. & fac. ignor. 6. col. num. 14. idem Bald. in leg. penult. §. Illo, Cod. de Necess. serv. hered. instit. & ibi Paul. & communiter DD. idem Bald. in cap. In omni negotio, 1. col. extra de testibus, Paul. Aret. & moderni in rubr. de Acquirend. hered. Anchar. in regula possessor. 7. col. de Reg. jur. num. 6. Jas. in leg. Si post divisionem, 2. col. Cod. de Jur. & fact. ignor. Idem Jas. in §. Sed iste quidem, Institut. de action. 20. col. n. 112. & in expresso istam sententiam & conclusionem, scilicet, quòd possit quis facere majoratum & meliorationem cum bona conscientia & sine peccato, tenet Alber. in leg. Barbarius. ff. de Offic. prætor. 7. column. num.

num. 10. in quantum dicit, quòd secùs aliàs, si successor haberet conscientiam læsam. Abb. & communiter DD. in dict. cap. Licet, de Voto, Martin. de Laude in Tractat. de Primogen. 12. quest. Joan. de Gutier. in Tractat. de Primogen. in 2. lib. 15. quest. Palac. Rubeus in sua eleganti repet. fol. 99. 2. column. §. 26. Quod tamen notabiliter intellige, quando talis filius electus in majoratum vel meliorationem, esset dignus & benemeritus; aliàs secùs: unde, si ex sola affectione pater vel mater præferret filium minus dignum & benemeritum, peccaret. Debet ergo attendere rei & bonorum qualitatem: nam si majoratus vel melioratio consistit in jurisdictione, vel gubernatione, præferat filium doctum, vel sapientem rectæ conscientie, & honestæ vitæ, qui verosimiliter melius sciat, & possit subditos gubernare: & eadem ratione, si majoratus, & bona in eo contenta habent aliam qualitatem annexam, eligat talem filium, in quo magis viget illa qualitas: ita singulariter determinat Palac. Rub. in præallegata repetitione. fol. 99. §. 26. quem omninò vide: quia notabiliter & plenè loquitur & fundat per 4. column. (b)

57 Tertio, principaliter quæro, an pater vel mater constituens majoratum auctoritate, & licentia Principis, possit filium quem vellet eligere & nominare, & alios sua legitima privare? In quo articulo breviter & resolutivè dico, quòd sic (c) dum tamen ejus alimenta ne-

cessaria relinqua: (d) cujus ratio vera & fundamentalis est: quia licet legitima quæ succedit loco alimentorum sit inducta de jure naturali, ut in leg. Scripto. ff. Unde liberi, & in leg. Cum ratio. ff. de Bon. damnat. & in Authent. de Hæred. & falcid. cap. 1. Itaque col. 1. & in Authent. de Triente & semisse, cap. Si verò el 1. collat. 3. & in Authent. Ut cum de appel. cognosc. cap. Considerare, collat. 8. & in Authent. novissima, Cod. de Inoffic. testam. & in leg. 1. §. Jus naturale. ff. de Just. & jure, & in cap. Jus naturale. 1. dist. & per consequens sit immutabile, ut in leg. Jus agnationis. ff. de Pactis, in leg. Jura sanguinis, ff. de Regul. jur. in leg. Si quis à liberis. §. 1. & quasi per totam leg. ff. de Liber. agn. & in leg. Abdicatio. & in leg. Nec filium, Cod. de Patria potest. & in §. Sed naturalia, Institut. de Jur. natur. gen. & civil. tamen ejus quota & quantitas non est inventa nec inducta de jure naturali, sed tantum de jure merè positivo, ut patet in prædictis juribus: Unde, sicut Princeps vel Rex, condendo legem communem generalem, potest talem legitimam taxare, augere, & diminuere; ita potest per rescriptum vel privilegium in concessione majoratus illam restringere & modificare, ut loco ejus tantum præstentur alimenta necessaria: quia per hoc non tollitur nec immutatur per Principem jus naturale, sed reducitur ad illud. Et in expresso, ista consideratione & fundamento istam sententiam & conclu-

(b) Tiraquell. in tract. de Primogenit. 4. quest. & probat apertè text. in lib. 2. tit. 15. part. 2.

(c) De licentia tamen Principis, ut advertit Matienz. in leg. 11. tit. 7. lib. 5. Recop. glos. 11. num. 2. nam sine ejus licentia filios sua legitima privare non poterit ut in tot. tit. 6. lib. 5. Recopil. & in leg. 5. tit. 6. lib. 5. fori, & docuimus supra. numer. 3. Gregor. in leg. 2. tit. 15. part. 2. gloss. 1. Menchac. de Success. creation. cap. 26. numer. 75. & 96. Molin. lib. 1. de Hispan. primogen. cap. 1. num. 5. & seqq. & in conscientie foro hujusmodi licentiam à Principe posse concedi, est communis resolutio, secundum Dynum in cap. Indultum, de Reg. jur. lib. 6. cui accessit Cyn. in leg. Sancimus, Cod. de Nuptiis, Bart. in leg. Titio centum. §. Titio genero, de Condition. & demonstration. num. 6. Corne. consil. 150. lib. 1. & consil. 210. lib. 3. Menchac. de success. creat. §. 20. num. 296. Alciat. in tract. Præsumption. reg. 1. præsumpt. 8. cum aliis pluribus additis per Matienz. in leg. 2. tit. 7. gloss. 1. num. 2. lib. 5. Recop.

(d) Quæ filio nullo jure tolli possunt, ut pluribus rationibus & auctoritatibus probat Menchac. de Success. creat. §. 20. num. 310. & 311. Covarrub. de Spensal. 2. part. §. 6. cap. 8. numer. 5. Castr. lib. 2. de Hæret. inst. punit. §. ult. Ex quo patet, non omninò esse rejiciendam eorum opinionem, qui negant, in totum posse tolli legitimam, fatentur tamen, lege vel statuto posse diminui, ut idem Castr. ubi supra num. 4. docet: cujus opinionis fuerunt Rotæ Auditores in antiquis, decisione 476. & in novis, decisione 18. Covarrub. ubi supra numer. 4. & 5. qui alios plures refert, Gregor. in leg. 3. tit. 9. part. 6. in gloss. magna, 3. column. in fin. Molin. lib. 2. de Primogen. capit. 1. numer. 14. Matienz. tam Antiquos, quam Modernos cumulans in leg. 2. tit. 7. lib. 5. gloss. 1. numer. 3. nisi forte filius habeat aliunde unde se possit alere, ac sibi alimenta acquirere, ex artificio, vel officio, vel aliàs; nam tunc, cum ei alimenta non debeantur, poterit in totum legitima privari, ut tradit Panormitan. in cap. Raynutius, num. 12. de Testament. Palacios Rub. in capit. Per vestras, 3. notab. §. 4. in princip. de Donat. inter vir. Covarrub. ubi supra, num. 5. Menchac. dict. §. 20. num. 304. Matienz. ubi supra num. 4.

clusionem tenet, Cyn. in leg. Sancimus. 2. column. Codic. de Nuptiis, Bart. in leg. Titio centum. §. Titio, penult. column. num. 6. ff. de Cond. & demon. tr. & ibi Joan. de Imol. penult. column. in fin. Bald. in leg. Cunctos populos, Cod. de Summa Trinit. & Fid. Cath. 11. column. numer. 17. idem Bald. in leg. cum lege. Codic. de Episc. & Cler. 1. column. num. 3. idem Bald. in leg. fin. §. Ipsum autem. 1. column. & 1. notab. Codic. de Bon. quæ liber. Alber. in leg. Quoniam in prioribus. penultim. column. Codic. de Inoffic. testam. ubi notabiliter loquitur: Salyc. in Authent. novissima, 6. column. 11. quæst. princip. Cod. eod. tit. Hostiens. Joann. Andr. Abb. Cardin. Ancharra. & communiter DD. in capit. Licet extra, de Voto, & istam dicit communem opinionem Jas. in dist. Authent. novissima, Cod. de Inoffic. testament. penult. column. Joan. le Cirier. in tract. de Primogenit. in 2. lib. 16. quæst. Pro qua communi sententia & conclusione facit bonus & expressus textus in cap. Raynutius. Extra, de Testament. prope fin. ibi: Ita quod deductio fiat tantummodo de his rebus de quibus secundum Threscanæ consuetudinem civitatis fieri consuevit: ubi expressè probatur, quod lex vel consuetudo potest augere, diminuerè, vel disponere circa legitimam filiorum: & ad hoc illum textum notat & commendat Abb. antiquus, Joan. Andr. Cardin. Anc. Abb. Panor. 5. column. 12. Barba. latè 34. column. n. 30. & illum textum ad hoc reputat singularem & unicum Laud. Rom. in leg. Si sequens. §. fin. ad Syllanian. Sed certè ille textus hoc non bene probat; quia tantum vult, quod consuetudo possit inducere, ut in certis rebus solvatur legitima, & non in qualibet re hæreditaria; & iste est verus, & proprius sensus secundum Abbatem, & communiter DD. ibi: & hoc est bene notandum, secundum eos.

58 Quartò principaliter quæro, dato quod pater vel mater possit licitè & cum bona conscientia facere majoratum vel meliorationem, & unum ex filiis eligere vel nominare; an teneatur eligere vel nominare majorem, vel possit eligere vel nominare secundum, vel minorem? Et breviter respondeo, quod licitè & justè potest secundum, vel minorem, vel alium quem vellet, eligere & nominare, nec præcisè teneatur filium primogenitum præferre; præsupposito quod electus & nominatus sit dignus & benemeritus sicut primogenitus; quia tam de jure communi quam per II. regias talis electio & nominatio residet in persona patris: unde, meritò potest cui velit gratificare; dum tamen aliis relinquat legitimam, vel alimenta: argumento eorum quæ suprâ proximè dixi, & argumento text. in leg. 1. per totum, Codic. & ff.

de Inoffic. testam. & in specie probat text in leg. Parentibus, Codic. eod. tit. text. in Authent. unde si, eodem titul. textus in leg. Si notas, Cod. de Inoffic. donat. text. in leg. Pactum quod dotali, Codic. de Pactis; textus in leg. Fæminæ, Codic. de Secund. nupt. text. in leg. Cum quidam, ff. de Legat. 2. textus in leg. Unum ex familia, & per totam legem; probat etiam textus 18. & lex 44. his II. Taur. Confirmatur etiam auctoritate divinæ Scripturæ Genesis, cap. 27. ubi habetur, quod Jacob. diligebat filium suum juvenem & minorem Joseph, plus quam alios filios & fecit ei tunicam polymitam vel sericam in signum majoris dilectionis, vel ex eo quod in senectute genuit eum, vel ex eo quod in eo vigeat maxima virtus, prudentia, & sapientia. Rursus confirmatur exemplo David, qui prætulit Salomon filium suum juniorem aliis fratribus ejus, & proposuit in regno propter ejus sapientiam & bonitatem, ut habetur 3. Regum, cap. 1. regulariter tamen hodie semper fit & constituitur majoratus vel melioratio in filio majore, propter rationes quas assignavi in successione Regni; quas vide.

59 Quintò principaliter quæro, si pater vel mater fecit & constituit majoratum vel meliorationem, non exprimendo, quod veniret ad filium majorem, sed tantum dicendo, quod veniat ad unum ex filiis suis; vel fortè, cum non haberet filios, vocavit consanguineum, vel extraneum, & post mortem eorum dixit & noluit, quod veniret ad unum ex filiis eorum, & disponit quod bona sint indivisibilia & in alienabilia; an talis constitutio majoratus vel meliorationis vitietur propter incertitudinem personæ, vel valeat & teneat, & succedat filius major, & ille præferatur & censeatur vocatus per constituentem? Et certè articulus est novus, subtilis, & utilis; de quo breviter videtur dicendum, quod talis constitutio & dispositio vitietur; quia in jure nostro incertitudo circa personam honoratam semper vitiat dispositionem; textus est in leg. Quoties. §. Si quis nomen. ff. de Hæredib. instituend. textus in leg. Tempus. §. Quoties, eodem titul. textus in leg. Paulus, la 2. ff. de Rebus dub. textus in leg. Fuerit, eodem titul. textus in leg. Qui plures. ff. de Usufruct. legat. textus in leg. Cum ex pluribus. ff. de Manumis testament. Quod procedit & habet locum, etiamsi actus sit pius & favorabilis, ut habetur in dictis juribus.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò, quod talis constitutio & dispositio majoratus vel meliorationis valeat & teneat, & in dubio semper censeatur vocatus filius major primogenitus, & per consequens postea successivè deveniat in majorem:

rem: (e) Pro qua sententia & conclusione primò facit tale fundamentum; quia cum pater vel disponens voluit, quod bona essent indivisibilia & in alienabilia, per consequens voluit, quod ad unum tantum venirent: si ad unum; ergo in dubio ad primogenitum; per rationes notabiles quas suprâ assignavi in successione regni. Secundò & magis in specie pro hac sententia & conclusione facit textus singularis in jure in leg. fin. ff. de Fidei instrum. ubi habetur, quod si divisio & contentio sit inter fratres vel hæredes, apud quem debeat esse testamentum patris, vel testatoris? Judex debet præcipere ut sit penes majorem: cujus verba sunt, Si de tabulis testamenti agatur deponendis, & dubitetur cui eas deponi oporteat, semper seniorem juniore, & amplioris honores inferiori, & marem fæminæ, & ingenuum libertino præferemus; & illum textum in sua decisione notat & commendat ibi Bartol. Odofred. Bald. & communiter DD. ibidem, Bart. & alii DD. in leg. Procurator. Cod. de Edend. idem Bald. in cap. 1. §. trætèrea, de Prohib. feud. alien. per Feac. in lib. 2. Feudor. final. column. in medio, Jas. in leg. Cum quid. ff. Si c. r. penultim. column. & ibi Moder. ni Joan. le Cirier. in tractat. de Primogen. in 2. lib. 2. quæst. & 2. column. Tertio facit text. in leg. Cum pater, §. Pater plurimus, ff. de legat. 2. ubi probatur, quod claves domus, vel rerum hæreditariarum semper debent esse penes majorem; & in expresso istam sententiam, & conclusionem tenet, licet non ita bene fundet Franc. de Aretin. in Consiliis suis, consil. 162. column. 3. versic. Et pro istorum verborum declaratione, Röder. Suar. ubi valdè commendat in repetition. leg. Quoniam in prioribus, Codic. de Inoffic. testament. 27. fol. column. 3. vers. Unum tene menti perpetuò.

Ex quibus noviter, & singulariter infero, quod si pater, vel descendens, vel constituens majoratum vocavit filium majorem, & dixit, quod bona essent indivisibilia, & inalienabilia;

dato casu quod alias personas vel descendentes successores non nominaret, non finietur majoratus vel vinculum in persona filii majoris nominati, sed perpetuò transibit ad omnes successores in infinitum, præferendo semper primogenitum alteri, & proximiorum in gradu alteri; (f) quod apertè fundatur ex superioribus; licet Palac. Rub. tangendo istum passum, relinquat cogitandum, in sua repetition. fol. 391. 2. column. versic. Ex quibus posset attentari. Et addè circa prædicta, quod in majoratu vel melioratione sufficeret successorem vocari tacitè, licet non expressè; ut si lex vel testator disponat; quod extantibus masculis, fæmina non succedat; vel extantibus filiis vel descendenti-bus ex tali persona, domo, vel genere, alii non succedant: nam tali casu, licet expressè non vocetur masculus, tamen ex eo quod dicta verba fuerunt posita ejus favore, succedit; quia ista est sententia & conclusio singularis in jure, quod ex lege vel testamento semper oritur jus, vel actio illis quorum interest, licet verba dispositiva ad eos non dirigantur; textus est in leg. Servo legato, §. Si testator, ff. de legat. 1. & ibi summè notat & commendat Bartol. & communiter DD. præcipuè Jas. qui hoc latius ponit & declarat; text. in leg. Fideicommissa, §. Cum esset, & in §. Interdum, de legat. 3. per quæ jura idem tenet Bart. in leg. 2. Videndum, ff. Ad Tertullian. idem Bart. in leg. 1. §. Quidam filium, ff. de Contra tab. Bald. in leg. Si de junctis, Codic. de Suis & legit. hæred. idem Bald. in leg. Maximum vitium, Codic. de Liber. præter. idem Bald. in leg. Quod verè contra, de Legib. Confirmatur, quia quando quis removetur à lucro contemplatione alicujus, illi debet applicari, cujus contemplatione removetur; textus est in leg. Si legatarius, Cod. de Legation. textus in leg. Legatum, §. Amittere, ff. de His qui, ut indign. textus in leg. 2. §. final. ff. de Collation. bonor. & ibi Bartol. & communiter Doctores.

Sex-

(e) Unde, si ex aliqua dispositione, vel scriptura donationis, testamenti, privilegii, probationis, vel sententiæ competat aliquid alieni jurè majoratus; licet aliæ clausulæ vocationis, prohibitionis, vel fideicommissi in eadem scriptura non contineantur, hæc omnes clausulæ censebuntur appositæ, eosdemque sortientur effectus, quos apud nos & alias provincias bona primogenitorum & majoratum ex consuetudine, moribus, legibus, aut constitutionibus habere solent, ut assertit Suarez in Question. majorat. num. 8. Palac. Rub. in Rubric. de Donat. inter virum, §. 69. num. 22. Gregor. Lop. in leg. 2. gloss. post princip. & gloss. El mas propinquo, tit. 15. part. 2. Covarrub. lib. 3. Variar. resolut. cap. 5. per totum, Menchac. de Succes. creat. cap. 26. num. 86. Burg. de Paz in Proemio legum Taur. num. 88. Dec. cons. 297. Matienz. in leg. 1. tit. 7. lib. 5. Recop. glos. 7. n. 1. Molin. lib. 1. de Primog. cap. 4. num. 14. cum seq. & rationem latè tradit Matienz. ubi suprâ num. 2.

(f) Idem tenet Parisius consil. 75. num. 82. lib. 4. Covarrub. lib. 1. Variar. cap. 5. num. 4. Gregor. in leg. 2. tit. 15. part. 2. verb. El mas propinquo. Menchac. de Succes. creat. lib. 3. §. 26. num. 94. Molin. lib. 1. cap. 4. per totum, Velazq. hic, gloss. 1. num. 2.

60 Sextò principaliter quæro, an pater vel mater faciens vel constituens majoratum vel meliorationem, possit vocare vel eligere filiam, extantibus masculis? Et breviter & resolutivè dico, quòd de jure benè potest eam eligere, & masculis præferre: argumento eorum quæ dixi *suprà proxima quæst.* & in specie argumento textus in *leg. Maximum vitium*, *Cod. de Liber. præter. cum similibus*. Quod intelligo, præterquam si secundùm qualitatem majoratus vel meliorationis magis conveniat masculus quàm femina; quia tunc, secundùm rectam conscientiam, tenetur illum eligere, & præferre; argumento eorum quæ dixi *suprà eod. in 3. quæst. princip.*

61 Septimò principaliter quæro, si constituens majoratum vel meliorationem vocavit tantùm masculos, & prohibuit fœminas succedere, & reperiat masculus descendens ex femina; an possit succedere, & majoratum vel meliorationem obtinere? Et breviter & resolutivè dico, quòd non; quia ea ratione qua excluditur fœmina, & est inhabilis ad succedendum, eadem debet excludi masculus descendens ex ea: Ita probat textus in *leg. Si viva mater*, *Cod. de Bon. mater.* ibi: *Hoc jure utatur quòd de filiis constitutum est, cum versic. Sequenti*, ubi habetur, quòd non debent habere plus juris nepotes, quàm filius vel filia, à quo vel qua descendunt; & ad hoc notant & commendant ibi Cyn. Jacob. Butr. Bart. Albert. Bald. Salyc. Paul. & Philipp. Cornel. Probat etiam textus notabilis & expressus in *capit. 1. §. Hoc autem notandum est, de his, qui feudum dare possunt, in lib. 1. Feud.* ubi habetur, quòd si in feudo vel dispositione prohibetur filia fœmina succedere, pari ratione videtur prohibitus masculus descendens ex ea, tanquam ex radice infecta; & ad hoc notant & commendant Bald. & communiter Feudistæ. Probat etiam textus in *leg. fin. Cod. de Natur. liber.* ubi habetur, quòd sicut filius naturalis non succedit patri ab intestato, ita eodem modo non succedit nepos, quantumcumque legitimus & naturalis natus ex eo. Confirmatur etiam ratione naturali & philosophica; quia in causato non potest esse plus virtutis quàm procedat ab influenti potentia causæ, secundùm Philosophos: Et in expressò, ex his fundamentis & rationibus istam sententiam & conclusionem tenet Specul. in *titul. de Locato, §. Unic. Verò aliqua*, versic. 166. Joan. Andr. in *Addition. ad Specul. in titulo de*

*Testament. super. rubr. Bartol. in leg. 2. §. Vivendum*, ff. *ad Tertul. idem Bartol. in leg. Liberatorum*, ff. *de Verbor. signific. 6. column.* & in versic. *Sequenti*, Bald. in *leg. Sed si hoc, §. Liber. 2. lect. ff. de In jus vocand. & ibi Paul. & alii DD. idem Bald. in Authentic. si quas ruinas, final. column. in fin. Cod. de Sacros. Ecclési. idem Bald. in leg. Maximum vitium, 5. column. Codic. de Liber. præter. idem Bald. in leg. 1. ff. de Senatoribus, idem Bald. Paul. & communiter DD. in leg. 1. de Condict. incerti, Paul. de Cast. ubi singul. loquitur in *leg. Gallus, §. Nunc de Lege Vellejan. fin. col. ff. de Liber. & posthum. & ibi Aret. Alexand. & communiter moderni, præcipuè Jas. antepenultim. column. idem Bald. in leg. Si quis id quod, 5. column. ff. de Jurisd. omn. jud. Paul. de Castro in leg. Qui exceptionem, ff. de Cond. indebit. 1. column. num. 5. Palac. Rubens. in repet. Rub. de Donat. inter vir. & uxor. fol. 52. column. 4. verb. Ad cujus confirmationem, Mart. de Laud. in *Tractat. de Primog. 26. quæst. Joan. le Cirier. in Tractat. de Primog. in 23. quæst. Cifuentes in ista leg. 40. quæst. 2.***

Item quæro, in eo casu quo tantùm masculus debet succedere in majoratu, an succedat Hermaphroditus? Et breviter dico & teneo, quòd si in sexu masculino magis incalescit, succedit: si verò in sexu fœmineo magis incalescit, non succedit; & si in utroque æqualiter incalescit, ipse potest eligere in quo sexu vult vivere & servare; argumento textus notabilis in *leg. Quæritur, ff. de Statu homin. & ibi expressè tenet & inducit Bald. 2. lect.*

62 Octavò principaliter quæro, si faciens vel constituens majoratum vel meliorationem, dicat, quòd veniat in filium majorem, vel in certam & determinatam personam, & quòd postea veniat ad filios & filias descendentes ejus majores; vel dicat, quòd veniat ad filios aut ad filias & descendentes majores; & contingat, quòd reperiat filius & filia, & filia sit major; vel reperiantur alii descendentes, quorum unus sit masculus, & alia fœmina, & fœmina sit major; quis eorum succederet? In qua quæstione nova & subtili dico, quòd succederet filius vel descendens masculus, & excluditur fœmina, quantumcumque sit major, taliter quòd semper præferatur linea masculina lineæ fœmininæ; & deficiente linea masculina, succedat fœminina, & major præferatur minori; & in quæstione de facto ita dixi, & respondi. (g) Primò, quia quando quis

(g) Ita tenet etiam Gregor. in *leg. 3. titul. 13. part. 6. glossa 1. column. 2. Covarrub. lib. 3. capit. 5. numer. 5. Gregor. idem, in titul. 15. part. 2. verb. El mas propinquo*, Aceved. in *leg. 5. titul. 7. lib. 5. num. final. Molin. lib. 1. capit. 3. num. 8. & lib. 3. capit. 4. num. 4. & 5. Velazq. de Avend. hic, glos. 9. num. 335*

vocat vel instituit plures hæredes collectivo modo, inter quos cadit ordo charitatis & naturæ, non intelligitur eos simul vocare vel instituere, sed ordine successivo; ita probat textus juncta Gloss. ordinaria, in *leg. Gallus, §. Quidam recte, ff. de Liber. & posthum. in glos. fin. quæ ad hoc reputat ibi singularem & unicam Dinus, & communiter alii DD. Ergo in præsentia, attenda natura & qualitate majoratus vel meliorationis, qui semper fit pro conservanda memoria constituentis, & regulariter solet præferri linea masculina, præferatur in isto casu. Secundò, quia quando testator vel disponens gravat hæredem, vel legatarium, extra familiam non alienare, sed ei restituere; non videtur vocare simul omnes de familia, sed ordine successivo, ut proximior in gradu præferatur; textus est in *leg. Cum ita legatur, §. In fideicommissio, ff. de legat. 3. & ibi Glossa & communiter DD. text. in leg. Peto, §. Fratre, eod. tit. & latius dixi supra. Tertio pro hac sententia & conclusione facit textus notabilis, & ferè expressus in *leg. Cum pater, §. penultim. ff. de legat. 2.* ubi habetur, quod si uxor instituit maritum hæredem, & eum gravavit, ut si decedat sine liberis restituat hæreditatem propinquis suis, vel propinquis uxoris; non admittuntur omnes simul, nec alternativa stat in sua propria significatione; sed admittuntur propinqui ordine successivo scripturæ: quia priùs debent admitti propinqui ipsius mariti; & eis non extantibus, admittuntur propinqui ipsius uxoris: & ad hoc notat & commendat ibi Bart. Alber. & communiter DD.**

Quartò facit, quia cùm constituens vel disponens priùs vocavit masculum in successione; eadem ratione videtur postea etiam velle, ut semper masculus succedat & præferatur fœminæ, etiam majori; & per consequens linea masculina præferatur fœmininæ: ita probat textus notabilis in *cap. 1. de Eo qui sibi vel hæred. suis mascul. & fœmin. investituram accepit in lib. 2. feudor.* & ad hoc ibi notat Gloss. ordinaria. Notat etiam & commendat Bald. in *cap. Significavit, de Rescript. 1. col. Jacob. de Sanct. Georg. in Tract. Feud. 20. fol. 12. probat etiam textus in cap. 1. §. Quin etiam Episcopum vel Abbatem, in usibus feud. ubi habetur, quòd si quis accepit feudum pro se & suis descendentibus masculis & fœminis, semper masculus præferatur; & eo extante, fœmina excluditur: & ibi notat &*

commendat Bald. & communiter DD. Nec observat si dicatur, quòd prædictæ lineæ vel personæ, modò vocentur copulativè, modò alternativè, semper debeant admitti pariter & simul; quia copulativa semper conjungit personas vel res viriliter & pro parte, ut in *leg. Reos, §. Cum in tabulis, ff. de Condit. instit. Item etiam, quia alternativa posita inter personas honoratas, tam in contractibus, quàm in ultimis voluntatibus, resolvitur in conjunctivam, ut utraque simul admittatur pro parte; text. est singularis in *jure in leg. penult. Cod. de Verbor. signific. Ergo in nostro casu & quæstione omnes pariter & simul deberent admitti. Quia notabiliter respondeo, quòd prædicta debent intelligi, præterquam si talis copulativa vel alternativa ponatur inter personas vel lineas inter quas cadat affectio ordinata; quia tunc debent admitti ordine successivo, argumento text. notab. in *dist. leg. Cum pater, §. penultim. ff. de legat. 2. & ibi communiter DD.***

63 Nonò quæro, si faciens vel constituens majoratum vel meliorationem, vocavit masculos, & in defectum eorum vocavit fœminas; & contingat, quòd sit extincta & finita linea masculorum, & tantùm superest linea fœminina, & ex ea reperitur masculus & fœmina; quis eorum succedet & præferatur? Et teneo & respondeo, quòd succedet & præferatur masculus: nam ex eo quòd constituens & disponens priùs vocavit masculum, & in eorum defectum vocavit fœminas, videtur semper velle præferre masculum; textus est valdè notabilis in *jure in Codic. 1. de Eo qui sibi vel hæredibus suis masculis, & fœminis investituram accepit, in lib. 2. Feud. & notat & commendat Gloss. ordinaria, Bald. Andr. de Insern. & communiter Feudistæ; notat etiam & commendat Bald. in cap. Significavit, 1. col. in med. extra de Rescriptis.*

64 Decimò principaliter quæro, si quis constituit majoratum, vel meliorationem, dicendo, quòd bona deveniant in filium majorem per viam majoratus, ita ut non possint vendi nec alienari; & alias personas quæ post mortem filii majoris succederent non expressit, nec nominavit; (h) an mortuo filio majore, prædicta bona perveniant ad filium ejus primogenitum, & post eum, in alios successores, per viam & ordinem communem majoratus, taliter quòd semper & perpetuò perveniant in filium majorem masculum; &

(h) Vel cùm haberet plura bona, Rex vel Princeps concessit sibi titulum Ducatus, aut Comitatus, vel dixit, quòd deinceps habeat jure & titulo majoratus; vel fortè Rex vel Princeps concessit sibi Castrum, Villam, vel oppidum per viam & titulum majoratus, nulla deinceps alia personâ nominata vel electa, ad quam perveniat majoratus.